ſuiſque cumulat deliciis, quid tandem pro creaturarum omnium puriſſima reſervat? Si ille indelebilibus inſculpſit characteribus præceptum colendi eos, quibus vitam debemus; quomodonam ille hoc munere fungitur erga Matrem ſuam? Cum oculos noſtros perſtringat, noſque illiciat hæc gloria, qua illa ſupra Cæleſtes mentes extollitur, & propius accedat ad lumen illud inacceſſibile, ubi inhabitat Deus: ſilentium noſtrum illam melius commendat, quam verba; & numquam melius texemus ejus encomium, quam cum fatebimur illam elogiis omnibus eſſe ſuperiorem. *Auctor recens.*

Ratio noſmet commendandi Mariæ.

Cælum te poſſidet Virgo Sanctiſſima, ſed nos nequaquam amittimus te. In tanta hac gloria tua non obliviſceris noſtri, & de throno, ubi ſedes, non dedignaris erga nos convertere oculos tuos. Quo propior es fonti gratiarum, plures in nos effundes. Hac ſpe ſuffulti ad pedes tuos proſternimur, tibique humillima vota noſtra offerimus, & preces effundimus. Te tamquam Dominam noſtram colimus, te tamquam miſericordiæ Matrem invocamus, reſpicimus te tamquam refugium, aſylum, ſolatium, ſpem noſtram; dignare quæſumus recipere nos hac triumphi tui die in numerum ſervorum tuorum, atque filiorum. Noſmet in æternum ſervitio tuo devovemus. *Pater Croiſet.*

S. Virgo pie nobis eſt colenda.

Quandoquidem hodierna dies eſt triumphalis Sanctiſſimæ Virginis dies, ſimulque dies liberalium donorum ejuſdem, eſto etiam dies noſtræ conſiderationis: Acri, ſinceroque dolore ducti, eo quod hactenus illi frigide famulati fuerimus, veniam petamus ignaviæ noſtræ, ſingulari pacto noſmet ſervituti illius devoveamus; polliceamur nullam abituram diem, quin illam peculiari cultu colamus. Omnis confidentia, ac ſpes noſtra in illius bonitate ſit repoſita, & in potenti protectione Matris miſericordiæ. Exemplum ſecuti cujuſdam ex piiſſimis Regibus noſtris ſub illius clientela non vos tantum, ſed filios, ſubditos etiam, totamque familiam veſtram collocate, hodierna die exhortamini domeſticos, filioſque veſtros, ut ſua veſtris vota conjungant, iiſque teneram inſpirate pietatem, filialem, conſtantemque confidentiam erga Dei Matrem, in vita æque ac in morte; & ſicuti pius ille Monarcha voluit devotionem ſuam publicam eſſe, ne erubeſcamus noſtram præ nobis ferre, & mementote ſententię S. Anſelmi aſſerentis, ſicut familia tota ſolide, ſancteque glorioſæ Virgini devota non perit; ita nobis credendum non eſſe, quod Dei benedictio inveniatur in familia, in qua Virgo glorioſa non colitur. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Præparatio quæ paſſim præit mortaliū triumphos, & illa, quę in nobis requiritur ſollemnem hunc diem celebraturis.

In feſtis diebus in honorem principum hujus Mundi inſtitutis, quilibet conferre aliquid ſtudet eorum celebritati veſtium ſumptu, & elegantia, elogiis magnificis, & exquiſitiſſimis muneribus. Male celebramus ipſi diem adeo ſollemnem, qualis hic eſt, niſi diligenter expiare, & exornare contendimus animam noſtram Sacramentis, niſi Deiparæ laudes celebramus, niſi præbemus illi præclara argumenta amoris, grati animi, & noſtrę devotionis. *Idem.*

Maria humilitati ſuę potiſſimum debet gloriā triūphi ſui.

Humilitas præcedit gloriam, non ſecus ac effectum ſuum cauſſa. Hæc S. Job ſententia eſt: Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. Profecto merito applicari poteſt S. Virgini, quod Apoſtolus dicit de Filio Dei ipſius. *Quid eſt quod aſcendit, niſi quia primum deſcendit in inferiores partes terræ?* (*Ad Eph.* 4. *Luc.* 1.) Cur S. Virgo ad tantum honoris apicem aſcendit, niſi quia primum per profundiſſimam deſcendit humilitatem? Fides inconcuſſa, puritas Angelica, cæca obedientia; verbo, commixtio virtutum omnium maxime eminentium confluebant ad illam inter creaturas omnes Sanctiſſimam efficiendam: tamen ejus humilitas magis, quam ceterę virtutes Dei ſui oculis placuit. Illam beatam dicent omnes generationes, *quia* Dominus *reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Huic S. Virginis teſtimonio inhærentes Patres humilitati ejus acceptas referunt ſingulares, eximiaſque prærogativas, quibus Deus illam exornavit. Patres etiam dicunt, ſicut ſuperbia fuit vitium, quod Deus maxime deteſtatus eſt in prima muliere; humilitatem eſſe debuiſſe virtutem, quam maxime amavit in Matre. Humilitas autem cum in Maria cauſſa fuerit potiſſima, propter quam facta fuit Mater Salvatoris; fuit etiam fons glorię, quę illam toto Cælo Sanctis omnibus ſublimiorem conſtituit. Ne ſperemus ergo nos in Cælesti regno diſtinctum iri, niſi quatenus in Mundo fuerimus humiles. *P. Segneri in Meditationibus Tomo* 3.

Triumphalis Marię ingreſſus in Cælum.

Si Biblia teſtantur Dominum poſſediſſe Mariam *in initio viarum ſuarum*, aſſerunt quoque, Deum illam poſſediſſe in fine, ac termino curſus ejuſdem, eique dediſſe coronam juſtitię, quam promiſit diligentibus ſe. Angeli numero carentes, quos vidit Daniel omnipotenti obſequentes, *decies millies aſſiſtebant ei*, concomitati ſunt Marię triumphum, ut illum efficerent celebriorem. O partem optimam, & partium omnium pretioſiſſimam, quam ſibi delegit Maria! Quid non merebatur anima tot virtutibus plena! Quis concipere poſſet, quænam in Cælo ſit magnitudo, auctoritas, felicitas S. Virginis? Ut aliquam vobiſmet fingere poſſitis imaginem, fingite vobis quidquid omnium filiorum efficere valeat in gratiam Matris optimę inter Matres omnes; quidquid amicorum omnium generoſiſſimus, ac fideliſſimus efficere poſſit in grati animi monumentum propter beneficia, quibus ab amico fuit cumulatus; quidquid ditiſſimus, ac potentiſſimus Regum omnium dare poſſit illi ex ſubditis ſuis, quem ſummo habet in pretio: hæc omnia nihilum ſunt ſi conferantur cum iis, quę in Marię gratiam J.C. facere voluit. Ægypti Rex ſatis ſe honorare arbitratus eſt Joſeph imperii ſui regimen cum illo partitus. Aſſuerus ratus eſt magnum Mardochæo ſe honorem deferre, cum illi diem tribuit, quo in triumphi morem per urbem veheretur. Credidit David inſigni favore proſequi Miphiboſet, illum ſibi menſa accumbere convivam jubens. Salomon infinitum Matri ſuæ honorem præſtare putavit, in throno ſuo illam aſſidere permittens: Sed favores id genus leves ſunt adumbrationes honoris, quo hodierna die in Cælum excipitur Maria. *Ex Manuſcripto Sermone.*

Hodie oſtendit Deus magnificentiā ſuam in gratiam Mariæ.

Illius tantum eſt qui in mortalis hujus vitæ peregrinatione exceptus fuit in Virginis ſinu, fieri thronum ejus, quam in ſuæ felicitatis, & poteſtatis ſocietatem vocavit. Illius tantum eſt, qui infinitis plenus eſt deliciis infinitos conferre theſauros illi, quam ſuper omnes Adæ filias dilexit, & quæ ſublimioribus virtutibus fideliter omnibus gratiis ejuſdem reſpondit. Illius tandem eſt, qui Deus eſt, remunerari, ut decet Deum, illam, quam ſibi elegit in Matrem, & quæ digne obiit ea officia omnia, quæ huic titulo inhærent. Gloria, quam Deus ſuis electis impertit, modo effectus eſt meræ ipſius miſericordiæ, modo juſtitiæ, & aliquando etiam magnificentiæ. Cum largitur gloriam pueris, qui poſtquam baptiſmi lavacro regenerati ſunt, ex viventium numero expunguntur, hic effectus eſt gratuitæ ipſius miſericordiæ. Cum illam tribuit iis, qui ſub jugo legis conſenuerunt, hic effectus eſt juſtitiæ ſimul & miſericordiæ; ſed cum hodierna die illam concedit Mariæ, hic ſimul effectus eſt miſericordiæ, juſtitiæ, & magnificentiæ. Tale fuit ineffabile Mariæ privilegium triumphi ipſius die. Sanctitas ejus dum viveret, major erat, quam ceterorum. Plus dedit Deo, plus ab illo recipiet; majorem meritorum numerum collegit, locupletiores theſauros inveniet: Anima, & corpus illius plura Deo præſtiterunt obſequia, uberior illi tribuetur remuneratio, & pro Matre ſua Deus omnem ſuam oſtendit magnificentiam. *Elogia Hiſtorica Tomo* 2.

Maria in Solio gloriæ ſuæ nō oblita eſt noſtri.

Poſtquam glorioſa Virgo a Mundo ſeceſſit Cæli poſſeſſionem aditura, ubi modo eſt tamquam Domina, & Regina, nequaquam exiſtimandum eſt, nihil nobis eſſe cum illa, vel nihil nobis ab illius bonitate, & amore eſſe expectandum. Profecto perfecte reſpondit conſiliis, quæ Deus de illa conceperat; cum pepererit mediatorem, qui nos reconciliavit æterno Patri ſuo, cooperata eſt in opus redemptionis noſtræ, offerens Filium ſuum; cui ſuperſtes fuit ad non ita modicum tempus, ut naſcentem fulciret, ac tueretur Eccleſiam, quæ illius exemplis, præſidiiſque indigebat. Sed in Cælo, quo hodierna die aſcendit, nobis præbet apertiſſima ſuæ poteſtatis, & bonitatis indicia erga ſingulos noſtrum per ſingularem protectionem, quam negat nemini opem ſuam imploranti. Ibi attentius, ac utilius vacat noſtræ ſalutis negotio; ibi loquitur pro nobis, ac nos protegit apud ſupremi Judicis tribunal; ibi noſtra mediatrix eſt apud Filium ſuum; & ibi tandem nobis validiſſima impetrat ſubſidia, ſine quibus in jugi pereundi diſcrimine verſaremur. Ita ut ſicuti Mundi Salvator poſt Aſcenſionem ſuam habitat in Cælo, ut pro nobis loquatur, & intercedat pro nobis apud Patrem, *ſemper vivens ad interpellandum pro nobis*: (*ad Hebr.* 7.) ſimili pacto Mater ejus glorioſa poſt ſuum Aſſumptionis triumphum, nobis adſtat, & valido ſuo patrocinio nos juvat. Beati, qui illud ſibi valent promereri. Si enim ſibi propitiam efficere valent hanc Cæli Reginam, profecto ſibi omnium felicitatum fontem inveniunt. Hoc nos debet impellere, ut illam in honore habeamus, ſerviamus illi, eique cultum, & obſequia noſtra adhibeamus, ac tandem in ea poſt Deum omnem confidentiam noſtram collocemus. *Auctor Serm. in omnia argumenta.*

Ejuſdem argumenti.

Quantacumque fuerit Sanctiſſimæ Virginis poteſtas in Filium ſuum dum viveret; tamen non liquet hac uſam fuiſſe, niſi ſemel in hominum gratiam; tunc videlicet cum ad illius preces Salvator primum edidit miraculorum ſuorum in nuptiis Cana. Ceterum quamvis de illius caritate & poteſtate dubitandum non ſit, nobis nonne infinita ſuppetunt argumenta, quibus probare valeamus, illam ſexcentis aliis in occaſionibus utramque exercuiſſe, in quibus poterat auctoritate ſua miſeris graviſſima impetrare ſubſidia? Ratio autem hujus rei petenda eſt ex reſponſione, quam dilectus hic Filius tribuit illi, cum primum pro memorato effectu ad illum confugit; horam ſuam nondum acceſſiſſe; videlicet, quemadmodum tempus, & momentum providentia præſtitutum erat, nondum eſſe tempus efficiendi, ut Matris ſuæ apud ſe potentia coruſcaret; & illius auctoritatem nobis utiliorem aliquando futuram, cum melius veras noſtras agnoſceret neceſſitates; præterquamquod cum noſtrę redemptionis opus nondum adveniſſet, nondum tempus erat fructus ejuſdem nobis applicandi: Modo vero cum Salvator in Cælum aſcendit, & feliciter illud adimplevit conſilium, propter quod in terras deſcenderat, & Mater ejus cum illo exaltata fuit, hæc quoque ut ille adit poſſeſſionem ſuę poteſtatis; quia hoc tempus eſt, hic eſt locus, ubi illam debet exercere; quapropter inſignis quidam ſanctitate Vir ad illam per apoſtrophem ſe convertens, dicit illi: *Data eſt tibi omnis poteſtas in Cælo, & in terra, & nihil tibi impoſſibile.* Omnipotens Virgo, collata fuit tibi omnis poteſtas in Cælo, & in terra; utrobique te tamquam Dominam geris, & nihil eſt ultra vires tuas poſitum: quoniam poteſtas tua non alia eſt, quam poteſtas filii tui. Qua in re hoc tantum diſcriminis intercedit, quod Filius hanc habet ex ſe, quatenus Deus, & homo; Maria vero per gratiam, & communicationem; quod non prohibet quominus hæc eadem ſit poteſtas, eodem pacto quo poteſtas, quam ſupremus hic Dominus communicat Miniſtris ſuis, tantum abeſt, ut quidquam deroget Principis auctoritati, illam potius corroborat, & re vera, una eademque poteſtas eſt. Hoc nobis ſemel præſupponendum eſt, neque iterandum; ne anſam præbeamus noſmet redarguendi iis, qui hæreſeos labe infecti ſunt, vel inanem præſeferunt zelum; quaſi Creatori adimeretur quidquid unanimi conſilio beatæ huic creaturæ Patres tribuerunt. *Auctor Serm. in omnia argumenta.*

SS. Virginis aſſumptio fuit Angelis cauſſa admirationis.

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens? (*Cant.* 8.) Maria aſcendit de deſerto, hoc eſt de Mundo, ubi nonniſi calamitas eſt, & afflictio ſpiritus, quæ nonniſi pœnis, & amaritudinibus replet; & nihilominus inde *deliciis* tantum *affluens* aſcendit. Sed quænam eſt, quæ de hac vita tanto cum gaudio egrediens, tanta cum pompa aſcendit in Cælum? quę differens in mortali corpore naturę ſuę ſpiritum perfectiſſimis intellectibus ſuperiorem, ad altiſſimum glorię gradum evehitur? & quę infra ſe relinquens quidquid non eſt Deus, ſupra thronum ſuum non videt, niſi thronum dilecti ſui, ſuper quem innixa in Cælum attollitur? *Innixa ſuper dilectum ſuum.* En quid hodierna die Angeli admirantur, & jure; quis enim cogitaſſet fieri poſſe, ut creatura ad tantum glorię apicem poſſet pervenire? Quis crediſſet de Mundi hujus deſerto exire poſſe ita omnibus numeris abſolutam creaturam, quę mereretur evehi per choros Angelorum, & occupare thronum Divinitati propiorem? Ita tamen exaltata eſt illa, quam Rex glorię honorare voluit, quam ab ęterno dilexit, & quam ſibi in Matrem ante ſæcula elegerat. (*Eſther.*) *Abbas du Jarry.*

Quanā lege judiciū ferre poſſumus de magnitudine Marię.

De S. Virginis magnitudine ſecundum legem hanc judicium ferre poſſumus. Principium exaltationis creaturę alicujus, non tantum propria eſt illius excellentia, quam ejus conjunctio cum Deo. Ita ſicuti Verbi humanitas, quamvis inferior naturę Angelicę, fuit nihilominus ſupra ſublimes illos intellectus per hypoſtaticam unionem ſublata; S. Virgo, etiamſi infra Cæleſtes hos ſpiritus poſita, recepit tamen gradum magnitudinis ſuperioris naturę illorum per arctam unionem, quam habuit cum filio ſuo, cumque pro vera Dei Matre habita fuerit, omnes tituli Auguſtę huic qualitati inhærentes illi cum eadem attributi fuerunt: ita ut nullus ſit gradus adeo ſublimis, ad quem Deus extollere poſſit creaturam, quem non reſervaverit Matri ſuę, & relinquens ſub illa quidquid non eſt Deus, S. Bernardus ait, ſuper eamdem unum ſe collocavit. Ita licet ſemper infinitum reliquum ſit intervallum Deum inter & Sanctiſſimam Virginem, illa tamen extremos divinitatis limites attigit, & nulla re a Filio ſeparatur niſi lumine inacceſſibili, in quo ille ſolus inhabitat. De honore autem qui debetur illi ſecundum idem principium arguendum eſt, ſecundum quod de loco, quem ille obtinet, judicamus. Omnis enim rationabilis ſpiritus fateri debet Sanctam Virginem in terris tantum eſſe colendam, quantum honoratur in Cælo; & ſicuti fingere non poſſumus tantam honoris ſublimitatem, quæ non deceat Dei Matrem, dummodo cum Deo non confundatur; coli nequit cultu illi non debito, dummodo abſit ab adoratione in ſpiritu, & veritate, quæ uni tantum Deo debetur. *Abbas du Jarry.*

Menſura gloriæ S. Virginis nō ſecus ac illa Salvatoris, quatenus hominis eſt menſura paſſionū ejus.

Unus ex fundamentis ejus glorię, qua in Cælo perfruitur Virgo Sanctiſſima, conſtitutum eſt in eo, quod in Salvatoris paſſione non mediocrem partem habuerit. Et ſane, quandoquidem J.C. quatenus hominis exaltatio, uti nos docet S. Paulus Apoſtolus, in Crucis humiliatione ſita eſt, & oportuit C. pati, ut ipſe teſtatus eſt, ut intraret in gloriam ſuam; nonne æquum erat, ut quæ in partem acceſſerat dolorum, atque opprobriorum Paſſionis ejuſdem, copioſius particeps quoque fieret gloriæ, quæ præmium fuit dolorum, atque opprobriorum illius? Conſideremus igitur triſtitiam Sanctiſſimæ Virginis ad Crucem in Calvario ut judicium feramus de illius gloria apud thronum J.C. in Cælo. Conſideremus hunc Oceanum amaritudinum, & dolorum, quibus immerſa fuit funeſtiſſimo illo momento hæc anima; hæc eſt menſura hujus Oceani lætitię, & conſolationis, quem recipit glorioſo triumphi ſui die. Quemadmodum J.C. morientis plagæ fuerunt plagæ Matris hujus deſolatæ, Sanctus Bernardus ait, gloria J.C. reſurgentis quodammodo gloria eſt Mariæ triumphantis. Quemadmodum illa particeps fuit omnium maledictionum, atque contumeliarum, blaſphemiarumque, quas Judæi in Filium ſuum evomuerunt: hodie fit particeps omnium laudum, & benedictionum aulæ Cæleſtis. *Idem.*

Terra cum digna non eſſet poſſidere Sacrum Virginis Corpus; hoc in Cælū fuit transferendum.

Quinam verus Eccleſiæ filius negare poteſt glorioſæ huic Virgini tria privilegia, quorum poſſeſſionem ſollemni hac die nacta eſt, incorruptibilitatem carnis, glorioſam ejus reſurrectionem, ac triumphalem in Cælum exaltationem? Cum poſita ſit ad Filii ſui dexteram, poſtquam omnibus gratiæ divitiis locupletata fuit, omnibus gloriæ theſauris cumulatur. Quinam dignus Eccleſiæ filius Virgini huic Sanctiſſimæ tria hæc negare poteſt privilegia, quę illi celeberrima veritatis oracula conceſſerunt? S. Auguſtinus ait ſe perhorreſcere cogitantem Corpus Deiparę vermibus in prædam ceſſiſſe; quia Caro Salvatoris, cum ex Sancti hujus Doctoris ſententia, ſit quodammodo caro Virginis Sanctę; privilegia carnis Filii extendenda ſunt ad carnem Matris. Ubi autem, niſi in Cælo eſſe poteſt corpus hoc Virginale, quod peperit Auctorem vitæ? Quomodo fidelium pietas, quę tanta ſedulitate collegit Sanctorum oſſa, & quę tamquam publicę venerationis objectum propoſuit minimas quaslibet res, quę per contactum Salvatoris conſecratę fuerunt: quomodo, inquam, jacturam fecisset pretioſiſſimę reliquiarum omnium in ſacro corpore Virginis hujus prorſus Cæleſtis? Sed terra digna non erat, quę poſſideret ſacrum illud vas repletum omni unctione divinitatis, cui Templi loco fuerat: neque ullus alius erat locus, qui illam decere poſset, niſi ille, quem Filius ejus illi præparaverat prope thronum ſuum, & ſuper omnes Angelos. *Abbas du Jarry.*

DE DEVOTIONE
ERGA BEATISSIMAM VIRGINEM.

Devotio erga S. Virginē conſtātis eſt auctoritatis, & probatiſſimæ omnibus Eccleſiæ ſæculis.

DEvotio erga Deiparam ita Eccleſię auctoritate comprobata eſt, ut nullus vere catholicus non norit illius utilitatem, & ſibi illam impenſius non exiſtimet excolendam. Eccleſia Latina, & Græca ita conſentiunt, ut nullum ſchiſma utriuſque conformitati nequaquam offecerit. In Oriente æque ac in Occidente publicę preces B. Virgini funduntur, & vota nuncupantur: ſollemni ritu dies feſti in illius honorem coluntur, Deo templa ſub Deiparę nomine dedicantur; ejus Imagines populis colendę in aris proponuntur: Nomen ejus in Sancto Sacrificio invocatur. Nihil melius hanc ſtatuit veritatem, quam conformis hic Græcorum, Latinorumque conſenſus; cum potiſſimum ad ſecedendum a nobis ſuopte ferantur ingenio. Græcorum Patrum ſententia, ut facile videre eſt, conformis eſt ſententiæ Patrum Latinorum, ubi ſermo eſt de Immaculata Virginis Conceptione. Devotio erga Virginem, confidentia in illius apud Deum auctoritate, & bonitate erga peccatores, in illius patrocinio & miſericordia, eſt omnium temporum, ætatum omnium, & omnium conditionum. Utrique a Patribus noſtris hanc Doctrinam accepimus per conſtantem omnium ſæculorum traditionem a J.C., uſque ad nos. Græci hodierna die eoſdem fovent ſenſus de devotione erga hanc Matrem miſericordiæ, quos olim fovebant S. Athanaſius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Baſilius, S. Joannes Chryſoſtomus, S. Cyrillus, S. Joannes Damaſcenus. Ita S. Bernardus nobis illos tranſmiſit, quemadmodum acceperat a Sanctis Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, Hildephonſo, aliiſque primorum temporum Patribus. Quamquam non alia nobis ſuppeteret ratio præter traditionem hanc ab Apoſtolis profectam, præter vim, quam jam obtinebat tempore Epheſini Concilii: poſset ne jure dubitari? Hæc conſpiratio Sanctorum, Capitis Eccleſiæ, Præſulum omnium, Doctorum, & Populorum, quam ſuperbia, diverſa hominum ſtudia, artes humanæ nequaquam corruperant; ardor hic omnium Orthodoxorum non ſolum in propugnando peculiari dogmate, de quo agebatur; ſed in extollendis eo majori contentione magnalibus, ſanctitate, & eximiis Marię Virginis privilegiis, quo majori conatu ſpiritus erroris tunc malignius impugnabat; zelus hic in elogiis eidem frequentius texendis, eique ædificandis magnificis templis; zelus hic adeo vividus, univerſalis, probatus, poterat ne aliud habere fundamentum, quam ſolidam traditionem quæ quotidie magis convaluit, & quam illi tantum labefactare auſi ſunt, quos Eccleſia a ſinu ſuo procul rejecit. *P. Croiſet in Aſceticis.*

Novitas omnis vitāda eſt, quam ſpiritus parum catholici invehere conantur circa cultū Virgini debitum.

In devotione, quæ habenda eſt erga incomparabilem Dei Matrem, quam Eccleſia tamquam Reginam Sanctorum veneratur, cavendum eſt, ne quæ novitas fiat, & ut ſemper ſervetur regula reverentiæ, quæ Deiparam decet. Hac in re conſulenda eſt ſenior, & religioſior antiquitas. Legitimi ejus honores in dubium revocandi non ſunt, ſub ſpecie abrogandi fictitios, & ſuperſtitioſos, quos decepta illi deferebat antiquitas. Vitandi ſemper ſunt verſuti Scriptores quidam, qui ſpecioſis nominibus contegunt irreligionem ſuam, & ſurripiunt Deiparæ ſcriptis ſuis, quod eidem tribuiſſe videbantur ſpecioſis titulis, blandiſque procemiis. Illam nobis propitiam reddimus eo cultu, qui neque ſuperſtitionem, neque incredulitatem redoleat, & illa ſuper Sanctos, Angeloſque ſublata, Deum dumtaxat, & J.C. infinite ſuper illam poſitum intuemur. Nomen hujus Auguſtæ Virginis cum illo Divini ejuſdem Filii præponendum eſt actionibus noſtris. Non inficior preces noſtras ad Deum dirigi poſſe, quin per Mariam introducantur, ſed aliunde ſcio, omnia cum Mariæ interceſſione melius ceſſura. Paſtores quorum doctrina pura eſt, ſententiam hanc amplectuntur, eamque communicant animabus, quæ illorum regimini ſubjacent, eo vero tempore potiſſimum, quo catholicus ut ſpiritus fortis gloriam aucupetur, de Sanctorum invocatione ratiocinatur, tamquam hæreticus; & in dubium revocans, quam teneat fidem, profanis ſermonibus perſtringit veritates, quas adorat, cum conſcientia, & pudor inveniendi ſe ſibimetipſi contrarium, revocant ipſum ad traditionem, & Fidem. Tridentinæ dumtaxat Synodi verbis opus eſt, ut probemus fidelibus, Sanctos, qui cum J.C. regnant, offerre Deo ſuas preces pro hominibus; ſed præſertim proficuum eſſe, & ſalutare invocare S. Virginem cum perſeverantia, & humilitate, & ad illius interceſſionem confugere ad obtinendas gratias a Filio ejus J.C., qui unicus eſt Redemptor noſter, & per quem unum ſalvi ſumus. *Auctor recens.*

Quis

Sperare poſſumus nos participes futuros felicitatis dilecti diſcipuli, & filii Mariæ.

Quis ſe beatum non duceret, ſi vivere poſſet cum illa, quæ novem menſes geſtavit in ſinu ſuo Verbum incarnatum, & cui contigit triginta annos cum illo permanere in jugi præſtantiſſimarum virtutum exercitatione? Quis non invideret electo diſcipulo tantam felicitatem, quanta eſt frui præſentia, & colloquio Mariæ in abſentia Jeſu? Sed ſi oraverimus, uti opus eſt, Verbum hominem factum, & in cruce mortuum per exceſſum bonitatis erga nos, nonne ſperandum eſt, nobis dicturum eſſe: Ecce Mater veſtra, & Matri, ecce filii tui? Liberalis eſt gratiarum ſuarum erga eos, qui cum fide, confidentia, corde recto, ſine ſimulatione, & mendacio illum deprecantur. Dignatus eſt nos eligere coheredes in Regno Patris ſui, & dignatur nos heredes ſcribere curarum genitricis ſuæ. Hæc ipſa haud ægre ſibi tot filios adoptabit; magnus filiorum numerus illi gravis non erit, neque tantus erit unquam, ut eorum neceſſitatibus opem ferre non valeat. Omne illius deſiderium eſt, neminem perire eorum, qui Sanguine Filii ſui redempti fuerunt. Confugiamus igitur ad Salvatorem, & confidentia pleni enixe rogemus illum non ſine lacrimis, ut nos exhibeat Matri ſuæ, eique oſtendens ſingulos noſtrum, dicat illi, *Ecce Filius tuus*, eamque nobis oſtendens dicat; *ecce Mater veſtra*. Quæ noſtra erit felicitas ſub tantæ Matris protectione verſari! Quis nos poterit ab illius brachiis convellere? Quæ tentatio, quæ adverſitas nos proſternere poterit, donec Matri Dei nobis opem ferre placuerit? Non erimus primi, quos illa ſua juvarit ope in graviſſimis neceſſitatibus? Quot ante nos illam invocarunt; & ulluſne inventus eſt, qui ſe repulſam paſſum fuiſſe conqueratur? Omnes immo experti ſunt, quam ſuave, ac utile ſit illam Matrem habere. Ipſa contrivit antiqui ſerpentis caput; & qui confidunt in illa, tuto ambulant ſuper Aſpidem, & Baſiliſcum, ſuper Leonem, atque Draconem. *Bellarminus Tomo 4. Opuſculorum.*

Sententia S. Ephrem Syri hac in re.

Videamus, quid ſentiant Sancti, qui jure adnumerari poſſunt illis, quibus Salvator dixit æque ac S. Joanni, *Ecce Mater tua*. In eximio enim quodam elogio, quo Sanctus quidam Pater habet Sanctiſſimæ Virginis, ait, illam ſine macula eſſe, & ab omni labe puram, eſſe univerſorum Reginam, & qui tentantur a diabolo ut deſperent, in eadem omnem ſpem ſuam reponere; & mox ad illam converſus, tu es, inquit illi, tutiſſimus portus iis, qui adverſa jactati ſunt procella; tu mundum totum conſolaris; captivi, & qui in ſervitute detinebantur ſuam tibi debent libertatem. Tu protegis pupillos, tu exhilaras ægros, & nemo ſalvatur ſine te. Expande ſuper me alas tuas, auxiliare mihi, recipe me in clientelam tuam, miſerere mei, qui ſum lutum, & ſordes. Ac tandem concludit: Virgo puriſſima, Salve; pax, gaudium, ſalus humani generis! O Filia Joachin, & Annæ, Sanctus Joannes Damaſcenus exclamat, o Mundi Regina; excipe peccatoris preces, qui licet peccator, non ceſſat unice te diligere, & colere tamquam illam, a qua omnem ſuam conſolationem expectat, cui totam vitæ ſuæ rationem remittit, per quam ſperat ſe in gratiam reverſurum cum Filio tuo, & cujus favorem ſpectat tamquam pignus ſalutis ſuæ. Exonera me gravi pondere peccatorum meorum; adjuva me, ut ſuperem tentationes, ut ſancte vivam, ac tandem Cæli beatitudinem obtineam. *Idem.*

Sententia ſæpe repetita a S. Anſelmo.

S. Anſelmus loquens de Mariæ magnalibus hæc habet: Quibus Deus gratiam concedit, ut ſæpe de illa cogitent, eamque tenero complectantur amore, hi profecto videntur inſignem aſſecuti ſuæ ſalutis, atque prædeſtinationis characterem. Eodemque in opere addit aliquid, quod gravius eſt. Nonnumquam citius ſolatium percipimus invocato nomine Mariæ, quam Jeſu unigeniti ipſius; non eo quod illa vel majorem obtineat dignitatem, vel Mater ſit Filio potentior; quia Filius non recepit a Matre magnitudinem, ac potentiam; cum e contra Mater utramque a Filio receperit. Unde nam fit ergo, ut ubi gratiam petimus, ſæpe celerius voti damnemur, confugientes ad Matrem, quam ad Filium, dicam ingenue quid ſentiam. Filius eſt Dominus, & judex hominum; hujus eſt illis præmia, ac ſupplicia partiri bene, vel male meritis. Cum igitur ille ab omni perſonarum genere invocetur, non ita cito votis illorum ſubſcribit, & juſte differt petitionibus eorum annuere; ſed cum Mater ejus precibus oratur, licet peccator non mereatur per ſe id aſſequi, quod petit, Matris hujus auctoritas facit, ut cito exaudiatur. *Idem.*

Sententia S. Bernardi in eodem argumento.

Tandem vero nemo S. Bernardo melius exprimit amorem maternum, quo Maria proſequitur filios ſuos, neque dilectionem obſequio, & confidentia affluentem, qua illam tamquam Matrem colunt, & obſervant, qui ejus numen implorant. Hic idem Pater ait, rite conſiderate, quem amorem, quam devotionem erga Mariam nobis immittere velit ille, qui in ipſa omnium bonorum poſuit plenitudinem; mens illius eſt ut fateamur illi acceptam referendam eſſe ſpem, ſanctificationem; & ſalutem noſtram. Igitur toto pectore adnitamur, addit ille, ut omnibus affectibus, ac deſideriis cordis noſtri incomparabilem Virginem colamus: talis enim eſt voluntas illius, qui optavit, ut quidquid boni nobis eſt, illud per Mariam obtineremus. Denique idem perſequens argumentum ait: Filioli mei, hæc ſcala eſt, per quam peccatores aſcendunt in Cælum; hoc maximum eſt ſubſidium meum, hoc columen ſpei meæ. *Bellarminus Tomo 4. Opuſculorum.*

Spes hæc innititur poteſtati, & bonitati S. Virginis. Quatenus Dei Mater, omnia poteſt; petat ſatis eſt, ut obtineat; Quid enim talis Filius tali Matri negare poteſt? Illa ergo obtinere poteſt nobis gratiam perſeverantiæ, cui adnexa eſt ſalus noſtra. Verum ſi poteſt, num dubitandum, an velit? *Non facultas illi deeſt, nec voluntas.* (*D. Bern.*) Quomodo fieri poſſet, ut Sancta hæc Virgo, quæ Mater eſt Miſericordiæ & Matrum omnium optima, non amet ſervientem ſibi, & ſe diligentem? Et ſi amat illum, poteſtne illi negare ſummum bonum, quod illi procurare poteſt? Non rejicit illa nequiſſimos peccatores, quomodo fideles famulos repellet? Hinc plures Sancti Patres dixere, fieri non poſſe, ut verus B. Virginis famulus reprobetur. *Sicut impoſſibile eſt, ut ii, a quibus oculos ſuos avertit: ſic neceſſarium eſt, quod ii, ad quos ſuos oculos convertit, juſtificentur, & glorificentur.* (*S. Anſ.*) Et ſane quomodonam J. C. æternis adjudicare poſſet ignibus verum Matris ſuæ famulum, & pro quo Sancta hæc Virgo ſuam interponeret auctoritatem, niſi hæc illum pro illo adhiberet, qui eidem fidelem præſtitiſſet ſervitutem? *Chriſtianæ Conſiderationes.*

Piæ adſpirationes ad Mariam.

Quæ felicitas recenſeri inter Deiparæ famulos, quoniam illa Cæleſtes promeretur gratias ſervientibus ſibi! Quid expectandum non eſt ex protectione, quæ æque potens eſt, ac tuta? In piis interceſſionibus tuis apud Deum omnem ſpem meam colloco. *Hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio ſpei meæ.* (*D. Bern.*) Licet Infernus totus ſæviat in me, licet violentis tentationibus urgear; licet mundus cum nefariis exemplis, & voluptas cum omnibus illiciis ſuis me perdere adnitantur; nihil erit mihi formidandum dummodo me in clientelam tuam digneris accipere. *O Maria, o nomen, ſub quo nemini deſperandum.* Beatus alboque lapillo notandus ille dies, quo me tibi devovi. Væ mihi niſi amavero te. Heu! quamvis ſexcenta mihi eſſent corda, hæc nondum ſatis eſſent ad te digne diligendam. Ad ſupplendum hunc mei cordis defectum, omnes te diligant Angeli, homineſque, o Sancta Virgo, cum omni affectionum ſuarum latitudine poſt Deum. *Eadem.*

Proteſtatio in poſterum illi melius deſerviendi eamque imitandi.

Offero totum cor meum tibi, Mater miſericordiæ Maria. Illud multis nominibus tuum eſt. Ne renuas, quæſo illud, quamvis adhuc infideliſſimum tibi; quandoquidem ſtat in poſterum, quam hactenus fideliorem tibi ſervire ſervitutem. Poſt tot annos, quibus me tibi famulum profeſſus ſum, quid egi pro te? qua in re imitatus ſum te? quantumvis hoc illud eſſet, quod requirebas ex me, tamquam pignus fidei meæ? Volo in poſterum omnes exercere virtutes, quarum exemplum mihi præbuiſti, ſervire tibi volo, & amare te eo amore, qui per me fieri poſſit maximo. Iterum me totum tibi devoveo, & ſub tuum patrocinium in reliquum vitæ meæ ſpatium confugio, præcipue vero pro hora mortis meæ .... O Sanctiſſima Dei Mater! Refugium peccatorum, Diſpenſatrix gratiarum Cæli: ne deneges mihi gratias, quas largiris omnibus invocantibus te. Nemo te oravit, qui opis tuæ effectum expertus non fuerit. Hoc mihi ſperandi locum facit, te nequaquam neglecturam, vel reprobaturam orationem meam, qua ſupplex poſco, ut in albo famulorum tuorum recenſear. *Conſiderationes Chriſtianæ.*

Oratio ut admittamur in albū ſervorū illius.

Devotio erga B. Virginem ſemper Eccleſia habita fuit tāquam nota prædeſtinationis.

Devotio erga Sanctiſſimam Virginem ſemper in Eccleſia habita fuit tamquam præſagium ſalutis, & ſenſibilis character prædeſtinationis. *Tu certa es arrba ſalutis meæ*, S. Joannes Damaſcenus inquit. Poſt J. C. es, o Beata Virgo *ſpes unica peccatorum*, & obſervatum eſt nullum unquam extitiſſe hæreticum, qui non adverſatus fuerit cultui Matris Dei; quaſi non eſſe poſſet aliquis inimicus Filii, niſi ſimul eſſet, & Matris. Vos autem perſiteamini toto vitæ veſtræ tempore zelotes futuros, fideleſque Deiparæ famulos; vobis cordi ſit ſolida hæc pietas, & poſt C. J. in Mariam confidite. *Totis medullis cordium, totis præcordium affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur*, (*Serm. 3. in Nativ. Mariæ.*) S. Bernardus ait, *quia ſic eſt voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam*; quia ut idem alibi ſubdit, *nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non tranſiret.* (*Serm. 3. in Vigil. Nativ. Domini.*) *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Per Mariam recipimus bona, & gratias, quas Deus nobis confert.

Quemadmodum Pater Æternus nobis per Mariam dare voluit Filium ſuum, voluit etiam ſecundum laudati Patris ſententiam, nos omnia habere bona per Mariam, & per illam ad ipſum noſtra aſcendere vota. Itaque Eccleſia nonne preces, quas vulgo fundit, concludit Oratione, quam dirigit ad Mariam? Quidquid Patri Filius offert, illi gratiſſimum eſt; quidquid Maria offert Filio, huic eſt acceptiſſimum. Pater nihil Filio, nec Filius Matri negare poteſt; neque Mater illis, quos tamquam veros ſibi famulos reſpicit; tamquam filios ad illam fidenter confugientes. Eſtote ex hoc numero. Neque ſatis eſſe putetis teneram fovere pietatem erga Mariam; illam filiis, ac domeſticis veſtris inſpirate; & miſereamini eorum, qui nullo habent in diſcrimine hanc Electorum parentem. Eidem offerte familiam, conſanguineos veſtros, & quidquid veſtrum eſt. Singulariter voſmet ſervitio ejuſdem devovete, & præſertim ne obliviſcamini quod S. Bernard. ait: J. C. cum venerit ad redimendum humanum genus, in Matris Suæ manibus gratias depoſuiſſe quæ ſunt pretium hujus Redemptionis. *Redempturus genus humanum, univerſum pretium contulit in Mariam.* (*Bern. ſerm. 3. in Nativ. Mariæ.*) *Idem.*

S. Mariæ nomen eſt omnibus venerabile.

Eccleſia poſtquam celebravit feſtivitatem Sancti Nominis Jeſu, e re cenſuit illam celebrare Nominis Mariæ. Auguſtum hoc Nomen adeo venerabile Angelis ipſis, non minus colen-

dum

dum eſt hominibus. Non Cælum, neque terra, Virgo Sanctiſſima, exclamabat S. Franciſcus agnovit Nomen poſt illud dilectiſſimi Filii tui, a quo Fideles plures recipiant gratias, majorem concipiant ſpem, majoremque ſuavitatem guſtent, quam Nomen tuum. Beatus, qui veneratur, & amat Nomen tuum Virgo Sancta, S. Bonaventura exclamat; gratia tua illum ſuſtinebit in adverſis, & producet in illo fructus in copia, ubi irrigatus fuerit vivis fontibus gratiæ Salvatoris. O Auguſtum Mariæ Nomen! addit ille, quomodo Nomen ſuum non celebrabitur, quandoquidem ne proferri quidem poteſt, quominus proferens illud fructum percipiat? Quam glorioſum eſt nomen tuum! Quam adorabile, Sancta Virgo, quoniam, qui invocant illud fidenter, in mortis hora non reformidant! *Glorioſum, & admirabile eſt nomen tuum; qui illud retinent non expaveſcunt in puncto mortis.* Qua pace, qua gratiarum affluentia non gaudent illi, qui inceſſanter Sanctum hoc Nomen tuum venerantur? *Pax multa*, idem ſemper loquitur S. Bonaventura: *pax multa obſervantibus Nomen tuum Mater Dei. Pater Croiſet in Aſceticis.*

Nominis hujus Excellentia.

Huic Nomini tanta virtus eſt, Sanctus quidam Abbas inquit, *Tanta virtutis eſt, & excellentiæ hoc nomen, ut Cælum rideat, terra lætetur, Angeli congaudeant, cum Maria nominatur.* (*Idiota. Raymun. Jordan. Abbas Cellenſis.*) Utique Sanctus iſte vir ſubdit: *dedit tibi, Maria, tota Trinitas Nomen, ut in Nomine hoc, omne genu flectatur Cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Profecto, S. Bernardus ait, Mater Dei non poterat habere Nomen, quod illam melius deceret, niſi Nomen Mariæ, nec quod melius ſignificaret illius Magnalia, excellentiam, & dignitatem. Maria pulcra eſt, ac renidens ſtella, quæ ſuper immenſum hoc Mundi pelagus ſublata, dux eſt eorum, qui procelloſum hoc navigant mare. Oculos amovere ab hoc ſydere eſt ſeſe adducere in funeſtam aberrandi neceſſitatem, in ſcopulos allidendi, & triſtis naufragii periculum adeundi. *Ne avertas oculos a fulgore hujus Syderis, ſi non vis obrui procellis.* Frequentes ſunt in hoc mari procellæ, ubique latent ſcopuli, nullus portus, nulla ſtatio ſatis tuta; vis evitare naufragium? *reſpice ſtellam*, Sanctus ait, *voca Mariam.* Plurima tibi imminent mala, te quatiunt adverſa, opprimunt te vitæ infortunia? Mariam invoca, inquit Albertus Magnus. *Si adverſitates tribulationum te jactent, & ſuperantes te quaſi proſternant, invoca Mariam. Pater Croiſet in Aſceticis.*

Pluriū Sanctorū Patrū Sētentiæ de Nomine Mariæ.

Mariæ Nomen, ajebat S. Antonius Patavinus, lætitiæ argumentum eſt, & confidentiæ illis, qui cum pietate, ac reverentia invocant illud; ori ſuavius eſt melle, auribus jucundius, quam melos, cordi acceptius quolibet gaudio: *Nomen Virginis Mariæ, mel in ore, melos in aure, jubilus in corde.* S. Anſelmus magis adhuc Sancti hujus Nominis Venerationem extollit: ait enim: *velocior eſt nonnunquam ſalus memorato nomine Mariæ, quam invocato Nomine Jeſu.* (*Lib. de Excell. Virg.*) Eccleſia vix audit Mariæ Nomen, cum in genua procumbit propter reverentiam, qua Sanctum hoc Nomen adorat; neque hoc unquam proferri auditur, quin populorum pietas excitetur. *Idem.*

Poſt Eccleſiæ nativitatem Mariæ nomen cum nomine Jeſu conjunctum fuit.

Ab ipſis Chriſtianiſmi incunabulis, ac primis Eccleſiæ temporibus conſueverunt Fideles nunquam ſeparare duo hæc Auguſtiſſima Nomina Jeſu videlicet, & Mariæ. Alterum ſine altero non proferebatur primo illo Chriſtiani fervoris ſæculo. Religio non conſenuit in Eccleſia: Quemadmodum veri Fideles ad hanc uſque diem fovent erga Filium eamdem venerationem, amorem, reverentiam; eamdem quoque erga Mariam pietatem ſervant, & obſequium. Hoc plerumque conjungit duo hæc auguſta Nomina in corde, & ore Fidelium. Videtur de Maria non ſine aliqua proportione dici poſſe quod S. Paulus dicit de Verbo Incarnato, cujus illa Mater eſt; illam tanto ſuperiorem eſſe beatis Mentibus, quanto inſignius Nomen accepit, eique impoſitum eſt, tamquam ſignum magnitudinis ſuæ: Namque ſuprema eſt hominum, & Angelorum Domina; Domina noſtra per antonomaſiam, ac ſingularem prærogativam; quo pacto omnes Eccleſiæ Patres, populique vocant illam. Nomen hoc ubique retinet eumdem magnitudinis, ac dominationis characterem, quia ſemper ſignificat Dominam noſtram, quemadmodum Filius ejus ſemper Domini noſtri, noſtrique Regis nomine appellatur. *Idem.*

Sententia S. Bernardi de nomine & protectione S. Virginis.

S. Bernardus (*Homil. 2. Super miſſus eſt.*) nullam prætermittit occaſionem oſtendendi teneros cordis ſui ſenſus erga Matrem hanc bonitatis, & miſericordiæ, alludens ad S. Nomen, quo appellatur, & ad opem quam inde percipiunt, qui navigant, eſt ſtella, quæ illorum dirigit curſum, diſertiſſime exprimit auxilium quod nobis ab hac divina Matre expectandum eſt per piam devotionem, quam fovere debemus erga S. Nomen ipſius. *Et Nomen Virginis Maria.* Quam belle Sanctum hoc Nomen convenit Beatiſſimæ Virgini, etenim propter ſignificationem Reginæ, Dominæque, quam ſecum adfert, ſignificat etiam Stellam maris. *Quod interpretatum maris ſtella dicitur.* Maria nonne eſt hæc ſpecioſa, & celeberrima Stella, ex Jacob orta, cujus lumen univerſum terrarum orbem illuminat, cujus fulgor emicans ad Cælum uſque attollitur, & effundens benignos influxus ſuos ſuper terram penetrat inferos, fovet corpora, & nutriens virtutes vitium exſiccat: Quicumque es, pergit ille, ne ignores, te juxta hujus Sæculi morem tamquam procelloſo mari agitari, ac fluctibus abripi. *Ne avertas oculos a fulgore hujus Syderis, ſi non vis obrui procellis.* Si ſubmergi non vis, ſi tentationes tamquam vehementes te agitant fluctus; ſi in diſcrimine verſaris allidendi in ſcopulos: attolle oculos erga hoc ſydus, Mariæ Nomen invoca. *Reſpice Stellam, voca Mariam.* Si te iræ ignis, vel maligna te urgent avaritiæ deſideria; ſi ſuperbia excitat procellas in corde tuo, ſi concupiſcentia te in naufragii periculum adducit, *reſpice Mariam.* Si peccatorum tuorum horrore turbaris; ſi conſcientiam tuam numerus illorum, & magnitudo torquet; ſi timor judiciorum Dei ad deſperationem te adducit, & te infirmat: *Cogita Mariam*: Sanctum hoc Nomen ſedabit tumultus tuos, & confidentiam, amoremque tuum excitabit. In periculis omnibus hujus vitæ, in difficillibus negotiis, in caſibus moleſtis, *Mariam cogita, Mariam invoca.* S. Nomen hoc *non recedat ab ore, non recedat a corde.* Memento; donec a Maria oculos non avertes, te errare non poſſe, donec illius protectione gaudebis nihil tibi eſſe timendum, & felici experientia edoctus intelliges illam jure Mariæ Nomine appellari; hoc eſt Matrem miſericordiæ, Maris ſtellam, Dominam, & refugium peccatorum. *Idem.*

Ejuſdem argumenti.

Reple, Maria, reple omnem tui Nominis latitudinem. Te Cælum colat, terra vereatur, infernus reformidet; Regna apud Deum in ea omnia, quæ infra Deum ſunt; ſed potiſſimum regna in corde meo. Eris conſolatio mea in laboribus, fortitudo mea in infirmitatibus, in rebus dubiis conſilium meum. Ad ſolum Mariæ Nomen omnis excitabitur confidentia mea, totus amor meus exardeſcet. Cur non licet mihi alte in mentibus omnibus hoc S. Nomen inſculpere? Cur nequeo illud in omnium mortalium ore collocare; eoſque adigere, ut illud mecum concelebrent! *Maria*: o Nomen ſub quo nemini deſperandum eſt! *Maria*: o Nomen toties impetitum, ſemper tamen ſalutare animæ meæ. Nomen, quod me tutum facit in timoribus meis, quod in meis me languoribus excitat, quod me in laboribus ſuſtinet. Singulis vitæ meæ diebus illud proferam, & ſemper proferens illud ſacrato Jeſu Nomini adjiciam. Filius ciebit in me Matris memoriam, & Mater revocabit memoriam Filii. Jeſus, & Maria, hoc os meum millies in morte mea repetet: Jeſus, & Maria, hoc cor meum, deficiente lingua, intus iterare non ceſſabit. Ad extremum uſque ſpiritum repetam hoc Nomen Jeſu, hoc Mariæ Nomen; & ad extremum uſque ſpiritum hæc Nomina erunt mihi Nomina confidentiæ, amoris, benedictionis, & ſalutis. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Glorioſum Mariæ Nomen excitat in nobis memoriam Magnaliū Virtutū, & meritorū ejus.

Omnia hæc nomina domus, ac terræ quam vacua ſunt. Hi ſunt nobilitatis tituli, non meriti, neque virtutum. Sanctum Mariæ Nomen nobiliorem adſtruit ideam, & conſolationis pleniſſimam; efficit, ut meminerimus Beatiſſimæ hujus Creaturæ, benedictæ inter omnes Mulieres, quæ unico privilegio gratiarum omnium plenitudinem recepit, quæ purior, ſanctior, integrior, acceptior Deo fuit primo ſuæ Conceptionis momento, quam omnes Angeli, Sanctique ſimul hodie ſint in gloria. Sanctum hoc Nomen prædicat nobis, eam quæ eodem appellatur, eſſe Matrem Dei, Reginam Cæli, & terræ, Mediatricem noſtram apud Deum; nobis dicit illam potentiſſimam eſſe Patronam noſtram, advocatam, ac perfugium noſtrum apud Supremum Judicem, conſolationem noſtram, magnam ſpem, ut illam Sanctus Auguſtinus appellat, Matrem gratiæ, Matrem miſericordiæ, ſuaviſſimam Matrem noſtram, erga quam filialis amor, vera, & religioſa devotio, nota eſt prædeſtinationis. *Idem.*

Devotio, quam omnes Sancti profeſſi ſunt erga Nomen Mariæ; & devotio, quæ illi in mortis articulo habetur.

Cogitate nullos fuiſſe Sanctos, qui ſingularem profeſſi non fuerint devotionem Sancto Mariæ Nomini, & qui experti non fuerint ſalutares ſuaviſſimæ hujus devotionis effectus. Semper ero felix, dicebat S. Gregorius Nazianzenus, ſi potero habere in ore Mariæ Nomen eo momento, quo animam efflabo. Janua Cæli ſtatim ſine mora patebit mihi, quemadmodum patuit arca columbæ, quæ ſe illi obtulit ore præferens olivæ ramum. Sed ut morientes habeamus in ore hoc Nomen ſalutis, donec vivimus illud geſtare debemus in corde. Hoc ut plurimum extremum illud verbum eſt, quod in mortis lectulo profertur; & extremum quod auditur. Quantæ conſolationis eſt hoc Nomen illis, qui illius guſtaverunt dulcedinem diutioris vitæ ſpatio! Jeſus, & Maria; hæc duo ſacrata ſunt Nomina, quibus commeatus noſter in vitam alteram ſignandus eſt. Cum his Nominibus, quæ Angeli venerantur, & dæmones reformidant, apud Supremum Judicem non gratioſi eſſe non poſſumus. Quanti refert illa nobis dum vivimus familiaria efficere, ut aliquando nobis ſint argumentum lætitiæ, confidentiæ, & conſolationis in hora mortis! Salutis noſtræ inimici, poteſtates tenebrarum infremunt auditis Jeſu, & Mariæ Nominibus; neque illa poſſunt audire, quin ſe conjiciant in fugam. Hoc perfecte novit Eccleſia, cum ſuadet Miniſtris ſuis, ut inceſſanter repetant illa in filiorum ſuorum morientium auribus; videlicet in criticis illis, decretoriiſque æternæ ſortis momentis, quibus omnes Inferni poteſtates conatus exerunt ſuos, ut terreant, tentent, & ad deſperationem adigant fideles. Mariæ ſervus quam tunc confidit in omnipotenti optimæ hujus Matris interceſſione! & quanta cum voluptate profert Nomen, quod procul ejicit terribiles hoſce ſalutis hoſtes! quomodo confirmat conſcientiam hactenus perturbatam? Solum Nomen quod recipit a Nativitate ſua, oſtendit nobis quid ſit, & quid nobis ab illa polli-

polliceri debeamus. Maria dicitur, & Myſticum hoc Nomen in variis ſignificationibus ſuis exprimit magnalia ejus, & ſpem noſtram inflammat. Docet nos, illam in Cælo, atque in terram ſupremam poteſtatem eſſe habituram, eamque Reginam eſſe hominum, & Angelorum. Magnificus iſte titulus præter te convenire poteſt nemini, quandoquidem tamquam Dei Mater non vidiſti ſolum Mundum, verum etiam auctorem Mundi ſubditum imperio tuo. Fac, ut ego experiar ſuaves effectus Sancti hujus Nominis tui, quod magis adhuc in corde habere cupio, quam in ore, & quod ſpero mihi crebro in ore futurum, eo quod alte, ac æternum mihi inſculptum erit in corde. *Pater Croiſet.*

Nomen Mariæ poſt Nomē Jeſu ſanctiſſimum in Mundo eſt.

Conſideremus, ſi vobis lubet, Mariæ Nomen, unico Jeſu Nomine excepto, auguſtiſſimum, ſanctiſſimum, ac unum omnium maxime venerabile eſſe ex omnibus Nominibus. Hinc videntur omnes ferme Sancti Patres iiſdem uſi verbis, ſive locuturi eſſent de Filii Nomine, ſeu de Nomine Matris ejuſdem. Utrique eoſdem tribuerunt effectus, eaſdem laudes, eaſdemque fere qualitates. Primorum ſæculorum Fideles tanto in honore, ac veneratione utrumque Nomen hoc habuerunt, ut facile judicium fieret, utrumque ex eodem principio operari. Experti noverunt, Mariæ, non ſecus ac Jeſu Nomen terrorem eſſe inferorum, Cæli lætitiam, mulcere tempeſtates, procellas diſſipare, in adverſis opem afferre, in morbis eſſe medicinam, vallum eſſe objiciendum quibuſcumque cupiditatibus, & habere virtutem acerrimas tentationes propulſandi, & producendi in anima ſuaviſſimam pacem; denique auguſtum hoc Nomen eſſe veluti compendium titulorum, & Magnalium Deiparæ. Hinc factum eſt ab ipſa S. Virginis Nativitate fideles conſueviſſe ſimul conſociare duo auguſta Nomina Jeſu, & Mariæ; conſtat enim alterum ſine altero proferri nequaquam conſueviſſe primis Eccleſiæ ſæculis, ſeu propter mutuum amorem Matris, & Filii, cujus maxime naturalia Symbola hæc erant Nomina, ſeu propter virtutem horum duorum Nominum, & efficacium ſubſidiorum, quorum erant tutiſſima pignora. Poteſt ne reipſa proferri S. Mariæ Nomen, quin meminerimus hanc eſſe Dei Matrem, quæ apud illum poteſt omnia? Hanc eſſe Matrem hominum, quos unice diligit, quorum refugium eſt, & advocata, & quorum ſalutem ardentiſſime cupit? Verum eſt Mariæ Nomen nullam afferre conſolationem peccatoribus, qui occalluerunt, & in flagitiis ſuis volunt perſeverare; Sed uberrimus fons eſt ſuavitatis, & conſolationis illi, qui profecto per flagitioſum vitæ genus in Dei ſui odio eſt, ſed ſincera ductus pœnitentia frangere cupit vincula ſua, & ab erroribus in ſalutis ſuæ viam reverti. Quibus ſuavitatis, doloris, pœnitentiæ, confidentiæ ſenſibus non afficitur devote proferens Sanctum Mariæ Nomen? Ad hoc Nomen religio omnis, & fides excitantur in peccatore pœnitentiam agente. Ad duplex hoc Nomen tota pietas inflammatur in anima juſta. Maria, ad hoc Nomen habere me puto advocatam apud Salvatorem meum, Mediatricem apud divinum hunc Protectorem, Patronam omnipotentem apud ſupremum Judicem meum. Maria, ad Nomen hoc omnis Filii affectus pro ſuaviſſima Matre ſua excitatur, tota inflammatur devotio, tota accenditur caritas, tota ſpes augetur. Maria, heu! quam ſuave eſt, quanti ſolatii eſt pronuntiare in morte Sanctum Mariæ Nomen, poſtquam in vita geſtatum fuit inſculptum in corde! *Reple Maria, reple, ut ſupra* pag. 337. *Pater Croiſet.*

Eccleſiæ praxis hac in re.

Ipſa hanc conſuetudinem docet Eccleſia. Nullam ex horis ſuis incipit, niſi poſt recitatum Mariæ Nomen. Vult Miniſtros omnes in ſacris muneribus ſuis, immo etiam in divino Sacrificio per reverentiam erga Sanctum hoc Nomen caput inclinare, quoties proferunt illud. Facite ergo, & habete reverentiam eamdem quotieſcumque Sanctum Mariæ Nomen profertis. Hæc ſacra Jeſu, & Mariæ Nomina infantibus tradenda ſunt, & crebro illis repetenda. *Idem.*

Idem ſequitur argumentum.

Ecce S. Virgo tituli, propter quos primorum fidelium pietas ab ipſis Eccleſiæ primordiis te colere incœperunt, ſolide conſtituta fuit. Tu es Mater Dei; nunquid nimis addi poteſt ad honorem tuum? Tu nobis Salvatorem dediſti; num aliquis apud illum eſt, in quo melius quam in te confidere valeamus? Angelus tibi dixit: te benedictam eſſe inter omnes mulieres; nunquid poteſt metui, ut in laudibus tuis prædicandis aliquis excedat? Quanta afficior conſolatione, ubi animadverto honores, qui tibi adhibentur in Aſia, Africa, Europa, & America, in omnibus terrarum plagis, ubi prædicatum fuit Evangelium, & ubi Filius tuus adoratur! Quam gaudeo, ubi conſidero quot Templa gloriæ tuæ fuerint ædificata! quot dies feſti in honorem tuum inſtituti! Quot Sanctæ Societates, Ordines Militares, Religioſæ Communitates conſtitutæ! verum quid fierem, ſi donec Cælum benedico videns te honorari etiam apud gentes barbaras, audirem laudum tuarum inimicos? Quid, ſi per noxiam curioſitatem legerem libros dignitati tuæ contumelioſos? quid, ſi per ignaviſſimam aſſentationem tacerem in colloquiis, & ſermonibus eorum, qui ægre juſta ſuſtinent elogia, quæ Eccleſia, Sanctique Patres tibi detulerunt? *Virginum Solitudo.*

Maria eſt Mater hominum, hic alter eſt titulus cui innititur honor, quē illi debemus.

Maria vera eſt hominum Mater, hic alter eſt fons magnalium illius, atque titulus alter, cui innitur cultus, quem illi præſtamus. Ipſa unum habet Filium, Sancti Patres inquiunt, & Mater eſt plurimorum. Habet unum quia Dei Filius unus ille eſt, quem utero concepit; plurimos habet, quia nobis dedit Auctorem gratiæ. 1. Eſt Mater noſtra, S. Ephrem ait, quia vitam reddidit nobis, quam prima parens noſtra nobis abſtulerat. 2. Mater noſtra eſt, quia Mater eſt Filii Dei, qui dignatus eſt nos Fratres ſuos vocare. 3. Eſt Mater noſtra, quia nos ſibi adoptavit Filios in perſona S. Joannis, quem Salvator moriens illi dederat in Filium. Quodnam confidentiæ argumentum pro hominibus univerſis! Si Moyſes tenet Dei brachia jam ſublata, ac parata ad puniendum populum Judæorum; Si Aaron acerram thuris præſeferens illius flexit juſtitiam, qui jamjam de Cælo demiſſurus erat ignem, quo rebellis illa, & ferox natio erat in cinerem redigenda; Si Joſue qui non niſi famulus erat Domini, vidit Solem in medio ſtadio gradum ſiſtere, obediente Deo voci hominis; quid mihi ſperandum non eſt, quandoquidem Maria Mediatrix eſt mea apud ſuum Filium? Quantum debeo tibi Deus meus, eo quod optimam hanc mihi Matrem conceſſeris! Per illam ad nos veniſti; per te ad Patrem tuum contendimus, & per illam venimus ad te. Quid nobis timendum eſt a Patre tuo, ſi loquaris pro nobis; & quid a te nobis expectandum non eſt, ſi pro nobis ad te loquatur Maria? *Solitudo Virginum.*

Maria eſt Advocata noſtra apud Deum.

Maria eſt hominum omnium Advocata; hic tertius fons eſt Magnalium ejus, ac tertius titulus, in quo conſtituta eſt noſtra erga illam devotio. Ipſa apud Filium ſuum eodem fungitur officio, quo Filius apud Patrem, qui ex quo in Cælo eſt, ſemper interpellavit pro nobis. Unus ne fuit unquam Advocatus eloquentior, & Judici ſuo acceptior, quam hæc Mater Miſericordiæ? Hæc cara eſt Judici, apud quem perorat; nam Filius ejus noſter eſt ſupremus Judex. Ipſa generatim pro omnibus loquitur peccatoribus, & ſingillatim pro ſingulis, ſeu quod omnes ſunt pretium Sanguinis Salvatoris, ſeu quod ſi homo non peccaſſet, Verbum incarnatum non fuiſſet, nunquam fuiſſet Maria, vel ſi fuiſſet, Dei Mater non extitiſſet. Præterea omnia poſſidet talenta, ut Judici noſtro perſuadeat, & ab eodem obtineat, quod pro nobis deprecetur. Pete, Mater mea, quidquid tibi placuerit, dixit olim Salomon Bethſabeę: Filius enim nihil negare poteſt Matri ſuæ. Cujus vero ponderis erit oratio Matris ita Sanctæ, qualis Maria eſt apud Filium toto Cælo Salomone majorem, atque ſanctiorem? Quid illi negare poteſt, attollenti ad thronum ſuum manus puras, & innocuas, quæ illum geſtaverunt? oſtendenti Sinum, quo illum concepit, ac retegenti ob oculos ejus ubera, quæ eum lactaverunt? Quam vim obtinent in corde illius adeo pretioſa amoris pignora? Felix anima quæ ſpem ſuam in Maria collocavit! Felix, quæ veneratione plena erga filium didicit ab infantia Matris opem expoſcere! *Idem.*

Quā virtutē habeant Mariæ preces apud Deum.

En Virgo Sanctiſſima ſolidiſſimum confidentiæ noſtræ argumentum. Potentia tua, reipſa neque abſoluta eſt, neque independens, qualis Dei eſt; ſed licet obſequens illa ſit, & ſupplex; tamen eſt admodum efficax. Ubi tuam protectionem poſco, non equidem thronum extollo oppoſitum throno Filii tui, atque tribunal miſericordiæ contra Juſtitiæ tribunal objicio. Sed Judici meo offero Oratricem, ad quam me confugere vult, ut per hanc ad ipſum contendam, Matrem invoco nobis opem ferendo ita paratam, ut S. Bernardus univerſum provocet Mundum, ut inſurgat in ipſum. Si quis poſtquam Nomen illius invocavit, protectionis ejuſdem effecta expertus non eſt; ego confugio ad aſylum, quod omnium ſæculorum experientia me docet, æque juſto, ac peccatori patere. *Solitudo Virginum.*

Verus eſt prædeſtinati character ardēti zelo Sanctiſſimæ Virgini famulari.

Quo zelo, quo devotionis affectu, S. Bernardus ait, voluit Deus a nobis Sanctiſſimam Virginem coli, in qua omnium bonorum plenitudinem ingenti veluti quodam excipulo collocavit, unde in omnes ejus famulos pretioſiora manerent chariſmata? *Intuemini quanto devotionis affectu eam a nobis voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria.* Itaque nullus fuit unquam in Eccleſia Sanctus, qui non teneram aluerit devotionem erga Dei Matrem. Diceres pietatem hanc eſſe characterem electorum; adeo communis eſt animabus juſtis; & notatum eſt, ſi qui peccatores fuere, qui ſingularem hanc S. Virgini venerationem ſervarunt, converſionem illorum ſerius, ocyus oſtendiſſe, devotionem erga Dei Matrem nunquam inanem, & fructu vacuam fuiſſe. Eſto ex numero ſervorum ejus, qui fideliſſime illi deſerviunt. Gloriare te eſſe ex numero filiorum illius. Profecto veneratio, confidentia, devotio erga S. Virginem natæ ſunt cum Eccleſia; nullus verus Fidelis, qui filiali non proſequatur amore amabilem hanc Matrem electorum. Dici poteſt, ſicuti hæc devotio erga S. Virginem creſcit cum fide; ita videri, fidem hanc, ex qua Juſtus vivit, nunquam infirmari, niſi devotio erga Dei Matrem fuerit imminuta. A Matre amari non poteſt, qui eſt inimicus Filii. Magnalia, & prærogativæ S. Virginis, ejus poteſtas, & auctoritas eſſe debent noſtræ conſolationis, & confidentiæ argumentum. Quam jucundum, & quam ſuave eſt pro Matre habere Matrem Dei, & ſcire, illam quodammodo maternitate noſtra oblectari. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Fructus, qui percipiuntur ex devotione erga Mariam Virginem.

Quinam fructus ex tenera hac devotione emanant! quot gratiæ, quot auxilia pro Mariæ ſervis in vita, quæ confidentia, quæ conſolatio in hora Mortis! quam ſuave eſt vivere ſub tantæ Patronæ clientela, ſed quæ dulcedo mori, cum per fidelitatem illi præſtitam meriti ſumus illius patrocinium! Nihil aptius nos confirmare poteſt contra adeo juſtum timorem judiciorum Dei, & contra Mortis terrores, quam confi-

dentia

dentia in Sanctiſſima Virgine, quæ innititur bonitati ejus, & perſeveranti illius devotioni. Quid nobis metuendum eſt, ſi S. Virgo intercedit pro nobis? erumpant in me imis e ſedibus inferi; Mariæ præſidium vallum eſt omnibus ſalutis noſtræ inimicis inexpugnabile: myſtica eſt Turris David omni armorum genere munitiſſima; Maria eſt maris Stella, quæ navigantium dirigit curſum; ſæpe illam reſpicere ſatis eſt ad ſyrtes, ſcopuloſque evitandos. Væ illis qui Matrem hanc adeo amabilem nullo habent in diſcrimine! quam miſer eſt, qui nullam fovet pietatem erga Dei Matrem! paucæ ſunt reprobationis notæ minus æquivocæ. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Poteſtas S. Virginis, quatenus Sāctiſſimæ, & perfectiſſimæ creaturæ.

Si poteſtas S. Virginis quatenus Matris Dei tanta eſt, quanta erit quatenus Sanctiſſimæ, ac perfectiſſimæ omnium Matrum? Si poteſtas, & gratia aliorum Sanctorum apud Dominum ex eorum Sanctitate deſumitur, quæ illos acceptos reddit in oculos divinæ hujus Majeſtatis, quæ tandem erit poteſtas illius, quæ illos omnes ſuperat Sanctitate? Si illa eſt ſine menſura, nonne dici poteſt hæc nullis terminis contineri? Quod ſi judicium ferimus ex quibuſdam ſingularibus virtutibus, quæ Dei cor ſibi conciliant, & quibus Salvator ipſe teſtatur nihil eſſe impoſſibile, veluti ex fide, quæ omnipotens eſt oratione, quæ impetrat omnia, confidentia, quæ ſanctam infert violentiam Deo, quid dicam de glorioſa hac Virgine, quæ plus habet fidei, plus ſpei, plus caritatis, quam omnes ſimul Sancti? Denique ſive auctoritas hæc a natura, ſeu a gratia proficiſcatur, a favore, vel merito, natura reddit Matrem hanc omnipotentem apud Filium ſuum, & gratia illam infinite acceptam facit in oculis ejus; meritum, quod efficit, ut ſervus polleat apud Dominum, omnem confert Marię poteſtatem apud Deum ſuum; quæ omnia ſi ſimul colligitis, inde totidem jura efficitis, quorum ſingula ſeorſim ſumpta in alio quolibet ſatis eſſe non poſſunt, collecta vero in eadem perſona tantam faciunt ponderis acceſſionem petitioni, vel deſiderio illius, ut S. Auguſtinus concludat: *Petitio rationem habet imperii. Croiſet Tomo 2.*

In omni malorū genere nobis cōfugiendum eſt ad Mariam, certi ejuſdē præſidii.

Bonitas, clementia, miſericordia ſunt veluti virtutes Divinæ Matris amicæ. Sufficit nos indigere ut illius caritatem excitemus; ſufficit nobis ejus auxilio opus eſſe, ut excitemus zelum ejus. Miſeriæ noſtræ ſufficientes ſunt cauſſæ ut ſimus largitatis ejus participes. Illa noſtris afficitur malis; illa Sinu veluti ſuo omnes filios nos gerit; illa noſtris conſulit neceſſitatibus, ipſas etiam petitiones noſtras prævertit. Maria, S. Bernardus inquit, omnibus hominibus miſericordem aperit Sinum, ut illos excipiat: *Maria omnibus Miſericordiæ Sinum aperit.* Captivus, pergit idem Pater, invenit in illa redemptionem, æger valetudinem, triſtis ſolatium, juſtus gratiam, peccator veniam. Itaque addit, in neceſſitatibus omnibus eſt invocanda. O Maria, S. Bonaventura exclamat, *Peccatorem toti Mundo deſpectum, materno affectu amplecteris, foves*, neque deſeris illum, niſi ante illum Deo reconciliaveris. Hæc univerſalis eſt S. Virginis bonitas, propter quam dixit S. Thomas, quocumque in periculo ſimus, ſalutem ſemper ſperari poſſe per favorem, ac protectionem Deiparæ. *In omni periculo poteſt ſalutem obtinere ab ipſa glorioſa Virgine. In manibus ejus*, Petrus Damiani inquit, *ſunt omnes theſauri Miſericordiarum Domini*: & hanc ob cauſſam Eccleſia Sancta illi quotidie recinit: *Mater Miſericordiæ, Vita dulcedo, Spes noſtra ſalve. Pater Croiſet Tomo primo.*

Beatitudo ſervorū Mariæ in hora mortis.

Nulla urgentior neceſſitas, nullum difficilius momentum, quam mortis. Momento hoc, a quo omnia pendent, Mariæ ſervi validiſſimam apud eam protectionem inveniunt. Cum ex eo temporis articulo ſalus pendeat, hæc Mater Miſericordiæ nunquam eſt liberalior in eos, a quibus in honore habita fuit. Eccleſia cognovit neceſſitatem ſingularis hujus protectionis in morte, ut in precibus ſuis peculiariter mentionem faciendam cenſuerit: *Nunc, & in hora mortis noſtræ* quotidie, & pluries quotidie inquit in Angelica Salutatione, & alibi recinit, *Tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe*; adeo illi perſuaſum eſt opem B. Virginis in ſummo illius momenti diſcrimine nobis omnino eſſe neceſſariam. Sed quis rationabilius, ac tutius polliceri ſibi poteſt validam hanc protectionem, quam veri Mariæ famuli? Nunquid momento illo obliviſcetur eorum, qui coluerunt illam, & amaverunt in vita? Quæ conſolatio in extrema infirmitate cogitare, nos veros Mariæ ſervos obire diem? Quid ſperandum non eſt a Supremo Judice cum Matris ejuſdem protectione lætamur? Confidentia jure innixa bonitati S. Virginis in extremo hoc momento omnes illius dolores mulcet, terrores minuit & lenit. Pauci ſunt vere devoti Mariæ Virginis, qui cum ſuavi, ac religioſa tranquillitate non moriantur, quæ eſt ſalutis eorum præſagium. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Primus pietatis gradus erga Mariā Virginē eſt audire illā docentē peccatum eſſe perhorreſcendum.

Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet Salutem a Domino. Proverb. 8. Verba hæc, quæ in ore Mariæ ponit Eccleſia, ſatis oſtendunt quibus gradibus perveniatur ad perfectam devotionem erga Sanctiſſimam Virginem. Primus gradus eſt Mariam audire. Quid autem dicit illa iis, qui recenſeri volunt in albo Servorum ipſius? Statim petit ab illis, ut horreant peccatum. Profecto omnia in Matre Jeſu dicunt, peccatum illud eſſe, quod præ ceteris horret. Admitteretne in numero ſervorum ſuorum, ac ſua dignaretur amicitia illos, quorum affectiones ab affectionibus illius prorſus abhorrerent? Quis credet Mariam velle ſibi ſervitutem præſtari ab eo, qui peccatum diligit, qui dæmonis mancipium eſt, qui hoſtis eſt J. C. Filii ſui? Hoc pacto faveret crimini, & Dei ſui cauſſam proderet. Vis ergo Mariæ famulari? cogita, ut illico de peccati ſtatu egrediaris, ſi in ejus luto forſitan hæres. Opem illa feret conanti; quoniam in id genus circumſtantiis eſt refugium peccatorum: videlicet refugium eſt peccatorum, qui ſincere converti deſiderant. Hac in rē illam audire debes, ſi quæris illius eſſe, ac inter famulos ejus recenſeri. *Beatus homo qui audit me. P. Segneri Tomo 3. Meditationib.*

Secundus gradus pietatis erga Virginē eſt illi quotidie tributū officiorū noſtrorum perſolvere.

Alter gradus perveniendi ad veram devotionem erga Mariam, eſt, ſumma diligentia præſtare illi externa quædam officia, quæ noſtram illi adhæſionem teſtentur. *Beatus homo, qui vigilat ad fores meas.* Inviſetis exempli gratia Templa in illius honorem ædificata; ſocietatem illorum quæretis, qui ſe eidem famulari profitentur; recitabitis preces, quas illi dedicavit Eccleſia; alioquin enim undenam cognoſci poterit vos eſſe vere ſervos Sanctiſſimæ Virginis? S. Virginem in corde veſtro colitis & illam amatis: eſto, ſed requiruntur hujus reverentiæ ſigna, & hujus amoris teſtimonia. Jure illa a vobis expectat, & exigit. *Qui vigilat ad fores meas*; immo ex vobis illa ſingulis diebus expoſcit. *Qui vigilat ad fores meas quotidie.* Cur autem petit illa? Ad veſtram utilitatem; ut quotidie pro vobis a Filio ſuo gratiam aliquam poſſit deprecari. *Idem.*

Perfectio pietatis erga Mariam eſt virtutes ejus imitari.

Tertius gradus, & perfectio pietatis erga Mariam poſita eſt in imitatione virtutum illius, quia ſupremus amoris gradus eſt imitari, & ſimilem fieri amoris objecto. Itaque Eccleſia inducit Mariam dicentem; *beatus homo, qui obſervat* actiones illius ad imitandum illas. Eſtote igitur attenti exemplis ejus. Myſteria, quæ celebrat Eccleſia in honorem illius, ſemper aliquod vobis aptum ſuppeditabit. Videbitis illam humilem corde in Annuntiatione ſua, legi in omnibus ſubditam in Purificatione, ſemperque in Maria deprehendetis virtutem aliquam vobis imitandam. Ita adnitentes, ut eidem voſmet ſimiles præbeatis, voſmet præbebitis digniores amore illius; ab illa peculiares gratias obtinebitis, illam cogetis, ut vos habeat in filiorum numero tamquam dilectum Diſcipulum, cujus Salvator in Cruce voluit Mariam in poſterum eſſe Matrem. Hæc ea beatitudo eſt, quam Sancta Virgo imitantibus ſe pollicetur. *Beatus homo, qui obſervat, &c. Pater Segneri Tomo 2. Meditationum.*

Qui ſincere adhærēt Marię inveniūt in illa validū præſidiū ad gratiam ſervandam, & reparandam.

Qui Beatiſſimæ Virgini ſervit eo modo, quo diximus, invenit illam in neceſſitate, & cum illa invenit vitam. *Qui me invenerit, inveniet vitam.* Ad quemcumque virtutis gradum Chriſtianus pervenerit, in Dei odium poteſt incidere. Si autem tantum hoc mali famulo Mariæ contigerit, num hæc illum derelinquet? eaque opem ferente, fieri ne poterit, ut non reparet gratiam, quæ eſt animæ vita? *Inveniet vitam.* Quo enim uſque bonitas illius procedit? quo illius poteſtas? Angelus Salutem Mariæ dicens non ait inveniſti gratiam Dei, gratiam quæ nos ſanctificat; ſed *inveniſti gratiam apud Deum.* Verba hæc exprimunt eminentem favoris, & auctoritatis gradum, ad quem Mater Jeſu elevata eſt; & hæc illa eſt gratia, qua utitur ad obtinendas pœnitentiæ gratias famulis, qui aberraverunt: *Qui me invenerit, inveniet vitam. Idem.*

Pietas ſincera erga S. Virginē magnū eſt auſpiciū perſeverantiæ in bono.

Alter Fructus ſinceræ devotionis erga S. Virginem hic eſt, quod illa nos adjuvat, ut in bono perſeveremus. *Qui me invenerit, hauriet Salutem a Domino.* Profecto unius eſt J. C. perſeverantiæ donum largiri, & donum hoc effectus eſt mere gratuitus Miſericordiæ ipſius; ſed petendum eſt, & quis felicius illud petere poteſt, quam Maria? Nequit illa per ſe nos ſalvare; ſed per gratiam, quam habet apud Filium ſuum efficere poteſt, ut hauriamus ſalutem noſtram ex fonte divinarum Miſericordiarum. Eccleſia ſatis nos edocet, quid Maria poſſit in hac extrema gratia, quæ ceteras obſignat, cum efficit, ut quotidie opem Deiparæ deprecemur pro extremis vitæ noſtræ momentis. Jure igitur vera erga Mariam pietas operatur ſingulis diebus requiem, & conſolationem ſervorum ſuorum morientium. Undenam ergo tunc ſingulis diebus proficiſcitur gaudium, & ſuavis confidentia, quæ illis affulget, niſi a valida protectione S. Matris ſuæ, & ex felicibus præſagiis, quæ illis ſuggerit ſalutis ipſorum? Quæ felicitas in eo decretorio Salutis momento habere patronam Matrem Salvatoris ipſius. Hæc beata ſors eſt Servorum Mariæ. *Idem.*

Virgo in albo ſervorū ſuorum eos tantum recenſet, & qui peccatum oderunt, & ſuā largitur protectionē illis qui volūt cōverti.

Nihil Æquius, Virgo Sanctiſſima, quam ab illis, qui ſeſe tibi devovere cupiunt, exigere, ut omnino peccato abrenuntient. Non te decet in albo ſervorum tuorum recipere dæmonis mancipia, & inimicos Filii tui. Non ideo tamen omnino rejicis peccatores; tu, quam Eccleſia refugium peccatorum appellat. Es enim; ſed eorum dumtaxat, qui converti volunt, & qui confugiunt ad te, ut illis converſionis præbeas adjumenta. Beatus ergo, Virgo Sancta, peccator, qui adhæret tibi non ſine animo abrenuntiandi peccato! Beatus fidelis, qui quotidie perſolvit tibi ſuorum officiorum tributum, & quærit præbere tibi ſuæ fidelitatis ſpecimina! ſed præ omnibus beatus ille, qui ſuam tibi adhæſionem profitetur ſtudio, & imitatione virtutum tuarum. Ad quemcumque virtutis gradum pervenerimus, ſemper labi poſſumus, & gratiæ jacturam pati. Quæ reliqua ſpes eſt in tanta calamitate, quam præſidium tuum promereri per aſſiduitatem officiorum, & per conſtantem in te colenda fidelitatem? Nonne tu impenderes omnem auctoritatem, ac potentiam tuam, ad peccatorem in vias pœnitentiæ revocandum? Sed potiſſimum, Virgo Sancta ad obtinendam perſeverantiæ gratiam, ut ad te ſingulis diebus confugiam, me docet Eccleſia. Unius adorabilis Filii tui eſt illam concedere; ſed illam ne tibi negabit labo-

ranti

tanti pro famulo, qui conſtanter ſe tibi famulatum fuiſſe gloriatus fuerit, qui omnia fidelis ſervi munera aſſidue adimpleverit? *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Aliquo in ſenſu dici poteſt fieri nõ poſſe, ut qui Mariam colunt, pereant.

Omnes, qui te derelinquent, Beatiſſima Virgo, *confundentur. Recedentes a te, in terra ſcribentur.* (*Jerem.* 17.) Propheta ad Deum de Deo loquitur, ſed nihil melius applicari poteſt B. Virgini, de qua toties Sancti Patres ſcripſerunt, ſicut eos qui diligunt eam peramanter, qui illi fideliter ſerviunt, qui perſeveranter eam colunt, interire non poſſe, ita eos qui ab illa recedunt, qui cultum ejus deſerunt, qui in illa non confidunt, neque fovent religioſam hanc pietatem, quæ in omnibus regnat electis, in nullam reditus ſpem interire. *Neceſſe eſt, ut pereant.* (*S. Bonav. in Pſalt.*) Qui digne Beatæ Virgini ſerviet, S. Bonaventura ait, juſtificabitur, atque ſalvabitur. Sed qui negligit cultum illius, in peccatis morietur. Ipſe J. C. ipſe Spiritus ſanctus his omnibus Eccleſiæ luminibus hos pietatis, confidentiæ, venerationis, & amoris erga Dei Matrem ſenſus infudit. Spiritus ſanctus auctor extitit Elogiorum, quibus illi Mariam celebrarunt. Hinc locutiones illæ adeo nobiles, ac patheticæ, verba adeo energetica, & ſignificantia; *Tu es ſpes unica peccatorum*, S. Auguſtinus ait. *Veneramur Salutis auctricem*, S. Hieronymus inquit; obſequio, & veneratione pleni ſimus erga illam, cui aliquo in ſenſu noſtram ſalutem debemus. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Ubi S. Virginem creatam cõfitearis, quidquid dixeris, ſatis non erit.

De Maria Virgine nihil aſſerit Evangelium, niſi Matrem eſſe J. C., & hoc unum dicens, omnia complectitur. Nam metuendum eſt ne quid hyperbolice dicatur, & debitus illi cultus nimis exaggeretur? Quis neſcit ab eo Filium coli, a quo colitur Mater? Pietas noſtra erga illam non partitur cor noſtrum, ſed arctius illud J. C. conjungit. Confidentia noſtra erga Virginem non minuit eam, quæ nobis in ejus Filio collocanda eſt, ſed auget. Cultus noſter, devotio, confidentia erga Mariam manifeſtum eſt argumentum fidei noſtræ in J.C. Numquid hac in re timeri poteſt exceſſus, Doctus Gerſon interrogat? Dummodo Sanctam hanc Virginem infra Deum, & in creatarum rerum claſſe conſtituas, ne verearis immodicas eſſe laudes, & cogitationes tuas. Scias tantum, quod ignorat nemo, omnia, quibus ipſa effluit, bona a Deo eſſe, & ipſam nonniſi Filii ſui opibus fuiſſe locupletatam. Hoc poſito nihil reformides, te de S. Virgine loquentem, pergit Doctor idem, aliquid dicere nimis ſublime, atque magnificum, quantumvis magnum, & inauditum videatur, quod dicis, recordatus te loqui de Deipara. Hac mente Eccleſia Romana nullam ſibi elabi patitur occaſionem celebrandi laudes Matris Domini, libenter probat quidquid confert ad augendam Fidelium devotionem erga hoc Refugium peccatorum, & omnes illius dies feſtos per annum multiplicat. *Pater Croiſet in Aſceticis Tomo* 3.

De arcta cõjunctione quę eſt inter J., & B. Virginẽ; quorum alteri ſervire nõ poſſumus, quin utrique ſerviamus.

Arctus adeo intercedit nexus inter Jeſum, & Mariam, ut alterutri ſervire non poſſimus, quin ſerviamus utrique; & ſicuti perfecta occurrit communitas inter Patrem, & Filium omnium naturæ bonorum, alia adeſſe videtur bonorum adquiſitorum communitas inter Filium, & Matrem; immo mihi audeo perſuadere aliquid adeſſe juſtitiæ ſpeciem, atque neceſſitatis in J. C. in partem vocandi S. Virginem magnitudinis, & regni ſui, qua in re quodammodo ei reddit, quod ab eadem accepit, ac dici poteſt, quod ſicuti recipiens a Patre divinam eſſentiam, recipit ab eo honores omnes, qui eidem debentur quatenus Filio Dei, ita recipere a Matre ſua honores, qui illi præſtantur tamquam hominum Redemptori, cum ab illa receperit naturam, & Sanguinem per quæ Redemptionem operatus eſt. Ne miretur ergo aliquis, ſi poſtquam vidimus Sanctos omnes J. C. fuiſſe, modo aſſerimus omnes fuiſſe Mariæ Virginis, & poſt conſtitutam in duobus hiſce officiis ſubordinationem, credimus hominem non ſolum uni domino, dominæque ſervire poſſe, verum etiam non bene alteri ſervire poſſe, quin ſerviat utrique. *Ex vita Cardinalis de Berulle. Libro primo.*

Admirabiles effectus, quos parit devotio Virginis in hora mortis.

In hora mortis potiſſimum Domina noſtra oſtendit protectionem, qua ſuis fert opem, & in extremis illis vitæ noſtræ momentis extremos exerit conatus amoris ſui. Illud eſt momentum a quo æterna Salus noſtra pendet, & æternitas. Mors ex ſe non eſt interitus noſtri cauſſa; peccatum in ſe non eſt extrema cauſſa noſtræ reprobationis; quia illud lacrimis expiare poſſumus: ſed fatalis conjunctio mortis noſtræ cum peccato quatenus finali, & cum extrema hac circumſtantia eſt cauſſa noſtræ reprobationis. Similiter mors per ſe neutra eſt; gratia ſola non ſalvat nos, ſed ſalvamur, cum gratia ſimul cum morte noſtra concurrit. Cum in Domino morimur, ut Sacer Textus inquit, & cum in ejus amore extremum emittimus ſpiritum. In extremo illo vitæ ſpatio omnes Salutis noſtræ inimici extremos conatus exerunt; extremo hoc momento, Virgo Sanctiſſima, filiorum tuorum neceſſitas opem tuam flagitat. Audi vocem fidelis in agone poſiti, in te oculos ſuos figentis, & opem tuam deprecantis contra hoſtes, a quibus impugnatur. Adeſt illa in hujuſmodi occaſione, ut reddat eam nobis propitiam curis ſuis, momentum hoc differens, vel accelerans. Ipſa morientem diſponit ad gloriam, ſive momentum hoc differens efficiat, ut de hoſtium viribus referat triumphum; heu! nonne hæc potiſſima eſt illius cura deprecari Filium, ut differat, vel acceleret mortem, quæ illi futura eſt bonum eo utilius, quia differens mortem in aliud tempus, agendæ pœnitentiæ ſpatium præbebit, & efficiens, ut hoc ipſo momento, quo eſt in gratia, moriatur, finalem impœnitentiam prævertet? ſive in hoc extremo certamine defendendus ſit, nonne ſcimus non defuturum illi robur ad impendendam temporum violentiam, & prohibendum ne illi omnes ſuas vires adhibeant? Sive confortandus ſit hic in agone poſitus, nonne illa præſto eſt, ut Dei gratiam eidem obtineat, vetitura, ne confundantur? *Ne confundetur, cum loquetur inimicis ſuis in porta.* (*Pſal.* 126.) Ecce hujus devotionis utilitas; cum ab inimicis in vitæ ſuæ exitu oppugnabitur, cum dæmonum tentationibus, conſcientiæ ſtimulis, præteritorum criminum recordatione torquebitur, ut confundatur, exhibebit ille ſuam erga Mariam devotionem, Mariæ erga illum patrocinium, ſibique aptabit clypeum univerſalem, qui undequaque ipſum circumdabit; & reſpondebit dæmoni, tentationibus, diffidentiis, Mariæ ſum; ſum in illius clientela, ecce ſigna, ecce veſtigia. *Biroat in Panegyricis Sanctorum Tomo* 2.

Quot modis Dei Filius S. Virgini ſeſe communicaverit.

In Sancta Virgine præcipue nobis conſideranda ea eſt ratio, qua dilectus Filius ſe ſe illi communicat. In Incarnatione ſupervenit in illam, ut eam dignam Dei Matrem efficiat: ſed die Pentecoſtes ponit illam tamquam Sponſam vocaturus in Societatem regiminis Eccleſiæ, abſente Filio, & ut manibus ſuis diſtribuat theſauros gratiæ. Quamobrem ex toto corde, omnibus animæ noſtræ facultatibus, & votorum noſtrorum latitudine illa nobis colenda eſt, quia tale eſt beneplacitum Dei, qui voluit, ut quodcumque nobis ingerit bonum, per Mariæ manum effluat in nos. Non ideo tamen quaſi hoc indigeat medio effuſurus gratiam ſuam in animas noſtras; ſed illius voluit nobis procurare interceſſionem, quia manus noſtræ plenæ ſunt ſanguine, ideoque indignæ, quæ ejus dona recipiant. Quapropter ſi quid boni, vel doni cæleſtis in nobis eſt; *Si quid in nobis gratiæ eſt: noſſe debemus id totum ab ea in nos redundare. Pater Novet in libro cui titulus:* (*S. Bernard. ſermon. de aquæductu.*) Orationis homo *parte* 3.

Lætitia, qua affecta fuit Maria in Adventu Spiritus ſancti. Quos pietatis ſẽſus fovere debemus erga illam.

Quis narrare poſſet gaudium quod Beata Virgo percepit labente Spiritu ſancto? Summa affecta fuit lætitia videns felix principium Regni Filii ſui, & adquiſitionem tot animarum, quæ ſub Crucis vexillo congregabantur. Quis dicendo explicare poſſet affectum cordis ejus erga tot recentes plantas? ſuaves amoris lacrimas manantes ex oculis ejus, verba melle dulciora, & igne fervidiora quibus utebatur ad illos erudiendos, ad virtutem excitandos, ad fidem illorum laudibus celebrandam, ad oſtendendam felicitatem eorum, quibus datum erat eſſe primogenitos Eccleſiæ, primos Crucis fructus, & primitias Spiritus ſancti, qui dignatus fuerat jacere in animabus eorum prima ſui Regni fundamenta? Procul dubio potiori jure dicere poterat, quam dilectus Diſcipulus: *Majorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.* (*Jo.* 3. *Epiſt.*) Non majori lætitia affici poſſum, quam cum audio Filios meos in via veritatis ambulare. Ne dubitetis quominus pro vobis quoque eoſdem foveat ſenſus, ſi exercueritis virtutes eaſdem, quas primi illi fideles. Nam ſicuti oculus oblectatur, ubicumque videt ſpecioſum aliquem colorem, vel objectum viſu pulcrum; ita Sanctum Virginis Mariæ cor ſemper fovebit amorem ſummum erga eos omnes, in quibus intuebitur veſtigia vitæ conformia doctrinæ Evangelicæ, quam Filius tuus prædicavit, quam annuntiaverunt Apoſtoli, quam primi Fideles ſervarunt. Ergo præteritum tempus evolvite, generoſe ad Chriſtianæ vitæ perfectionem contendite, lætitiam allaturi Spiritui ſancto, Jeſu Chriſto, Beatæ Virgini, & omnibus qui curam geſſerunt animæ veſtræ. *Pater Novet in eodem libro, eademque parte.*

F I N I S

Myſteriorum Domini noſtri JESU CHRISTI, & Sanctæ Virginis Mariæ.

R. P. VINCENTII

HOUDRY

BIBLIOTHECA CONCIONATORUM THEOLOGICA,

COMPLECTENS

MYSTERIA DOMINI NOSTRI, ET B. VIRGINIS:

INSUPER ET CÆREMONIAS, CONSUETUDINES, ET ECCLESIÆ PLACITA;

E GALLICO SERMONE IN LATINUM TRANSLATA.

TOMUS QUINTUS,

IN QUO CONTINENTUR

CÆREMONIÆ, CONSUETUDINES, RITUS, ET ECCLESIÆ PLACITA.

EDITIO NOVISSIMA.

VENETIIS,
Ex Typographia HEREDIS NICOLAI PEZZANA.
MDCCLXXIX.
SUPERIORUM FACULTATE.